



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

331. Ceteris Magdalenæ comitibus apparet Christus in via.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

CHRISTI REDIVIUI. 307

xisset, conversa est retrorsum, & vidit IESUM
stantem: & non sciebat, quia IESUS est. Di-
cit ei IESUS: Mulier, quid ploras? quem quæ-
ris? Illa existimans, quia hortulanus esset,
dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito
mihi, ubi posuisti eum, & ego eum tollam.

Ioan. 20. v. 14. & 15.

III. Dicit ei IESUS: Maria. Conversa illa,
dicit ei: Rabboni, (quod dicitur, Magister) Di-
cit ei IESUS: Noli me tangere, nondum enim
ascendi ad Patrem meum: vade autem ad
fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem
meum, & Patrem vestrum: Deum meum, &
Deum vestrum. *Ioan. 20. v. 16. & 17.*

IV. Venit Maria Magdalene annuncians
discipulis; Quia vidi Dominum, & hæc dixit
mihi. *Ioan. 20. v. 18.* Illa vadens nunciavit
his, qui cum eo fuerant, lugentibus & flen-
tibus. Et illi audientes, quia viveret, & visus
esset ab ea, non crediderunt. *Marc. 16. vers.
10. & 11.*

MEDITATIO CCCXXXI.

*Ceteris Magdalene comitibus apparet
Christus in via.*

I. **E**Cce IESUS occurrit illis, dicens: Ave-
te, *Matth. 28. v. 9.*

II II

II. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum. *Matth. 28. Vers. 9.*

III. Tunc ait illis Iesus: Nolite timere. Ite, nunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt. *Matth. 28. V. 10.*

MEDITATIO CCCXXXII.

*Duobus discipulis euntibus Emmaum-
tem Christus ignotus sese
jungit.*

I. **P**ost hæc autem duobus ex his ambulanti-
bus ostensus est in alia effigie, eunti-
bus in villam, *Marc. 16. V. 12. Modum hu-
jus apparitionis narrat Lucas hisce Verbis.*

II. Ecce duo ex illis ibant ipsâ die in ca-
stellum, quod erat in spatio stadiorum sexa-
ginta ab Ierusalem, nomine Emmaus. Et
ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus,
quæ acciderant. *Luc. 24. V. 13. & 14.*

III. Et factum est, dum fabularentur, &
secum quærerent, & ipse Iesus appropin-
quans ibat cum illis. Oculi autem illorum
tenebantur, ne eum agnoscerent. *Luc. 24.
Vers. 15. & 16.*